

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2322

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1146, 6 mai

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Hugue III, archevêque de Rouen, notifie l'accord intervenu, le 29 avril précédent, entre Saint-Martin de Troarn et Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux, au sujet de l'exemption de l'abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° IX, p. 369-370.
. *Päpstliche Delegationsgerichtsbarkeit in der Normandie* H. Müllert. 2, n° 2, p. 86-88.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gracia Rothomagensis archiepiscopus, episcopis, abbatibus, tam presentibus quam futuris, et universo clero tocius Normannie, salutem. Quoniam Troarnense monasterium plurima episcopalia jura illicite occupabat, frater noster Philippus, Baiocensis episcopus, Beati Petri limina, debito more visitans, super hoc auribus pie recordationis Lucii pape querimoniam deposuit, qui illa et reliqua ecclesie sue jura et privilegio confirmavit et spirituali scripto abbati Troarnensi precepit quatinus que nullo modo sui erant ordinis episcopo libera relinquaret; quod cum abbas et ejus monachi facere remisissent (sic), prefatus episcopus apostolice sedi se iterum presentavit et domino pape Eugenio prefatam injuriam conquerens exposuit. Papa vero Eugenius, sicut predecessor suus, Lucius, tam ea quam omnia ad jus ecclesie sue pertinencia privilegio sibi confirmavit, et abbati Troarnensi mandando precepit ut episcopalia, que ipse occupabat, episcopo prefato omnia absoluta dimitteret. Quod cum abbas et monachi Troarnenses audissent nec satisfacerent, prefatus episcopus, resumpto labore, eidem pape per nuncios suos hanc violenciam et abbatis inobedientiam significavit; unde dominus papa apostolico scripto nobis injunxit quatinus, utroque ante nostram presenciam evocato, et auditis querimoniis episcopi et responsionibus abbatis, eorum controversiam sine subterfugio appellacionis canonice terminaremus. Cum igitur, die prefixo, ad nostram audienciam convenienter abbas et monachi, contra tenorem mandati domini pape, judicio sistere nolentes, in nullo gravati, ad audienciam domini pape ipsum episcopum invitantes appellaverunt. Episcopus autem, ne in aliquo minus faceret ad terminum quem sibi, licet indebite, prefixisset, apostolice sedis auctoritatem adiit, modum actionis et diem appellacionis domino pape et romane curie, me quoque pariter assistente cum episcopis Lexoviensi et Constantiensи, sedulus intimavit. Abbas vero nec venit, nec, prout oportuit, responsales sufficienes illic misit, nec excusationem quare non venerit, more debito, canonicam pretendit. Super his autem dominus papa, communicato consilio nobis denuo, absque approbationis subterfugio, causam canonice recidendam remisit, et abbatem pro deffectu suo ad persolvendum episcopo expensas, quas pro appellacione fecerat, condempnavit.

Postmodum vero episcopus et abbas ejusque monachi Rothomagum ante nos venientes, hunc tandem altercationis sue finem debitum acceperunt. Abbas, accepto consilio, episcopo omnia jura episcopalia, de quibus contra eum et ejus monasterium egerat in presencia nostra et personarum nostre ecclesie et multorum tam abbatum quam aliorum qui intererant, plenissime reddenda cognovit et manu propria resignavit ; hec sunt autem jura episcopalia que abbas predictus et monachi sui, qui cum eo erant, episcopo Baiocensi et ecclesie sue sine reclamacione, que de cetero fieret, relinquerunt in ecclesiis quas habent in episcopatu Baiocensi : presbiteros libere ponere et curam animarum eis tradere, et, si commiserint, canonice deponere ; homines suos qui in eodem episcopatu sunt in festivitate Penthecostis ad matricem ecclesiam, que sedes episcopal is est, convenire, et oblacionem per Normanniam constitutam de more ceterorum parrochianorum persolvere ; placita episcopalia per se vel per ministros suos tractare, et placitorum emendas habere ; de publicis criminibus hominibus penitencias dare ; illicita matrimonia dissolvere ; sacerdotes eorum omnes ad sinodum suum venire ; eosdem sacramenta ecclesiastica ab episcopo recipere et sinodales redditus, circatas, et alias consuetudines ad curam episcopalem pertinentes terminis constitutis reddere. Actum est istud anno ab Incarnatione Domini M^o. C^o. XL^o. vj., iij. kalendas maii, Eugenio papa iij., Rothomago, coram testibus subnotatis : Fraterno, abbate de Sancto Audoeno, Ranulfo, abbe de Sancto Taurino Ebroicensi, Waleranno, decano Rothomagensi, Gaufredo, archidiacono, Giloni, archidiacono, Osmondo, archidiacono, Fuberto, archidiacono, Roberto, archidiacono, Nicolao, sacrista, magistro Laurencio, Gisleberto, cantore, Roberto, subcantore, Gaufrido de Firmitate, Aulone, canonico, Hild., canonico, Arnulfo, canonico, Reginaldo, canonico, Hecel., canonico, Girardo, canonico, decano Ebroicensi, et aliis Rothomagensis ecclesia (sic) canoniciis quampluribus. Datum Rothomagi per manum Gauterii, abbatis Sancti Wandregisili, cancellarii nostri, ij. nonas maii.